



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 52. Vtrum mundus esset formaliter perfectior, vel imperfectior, si Deus nulla, vel pauciora peccata permisisset, & si omnes Angelos, & homines prædestinasset, vel saltem plures prædestinasset, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

esset infinitum in actu, nihilominus ad perfectionem mundi spectat potius, ut dentur finitæ species, & finita individua, quam infinita, idque posset confirmari ex Aristotelis verbis 8. physic. textu 48. supra citatis: *In ijs, quæ sunt natura, finitum sit potius, & id, quod melius est oportet, si modo esse possit.*

24. Ad 4. nego antecedens. Mundus cum sit vnus numero, debet habere vnum tantum caput intrinsecum, alioquin esset monstruosus; sed natura intellectualis eo ipso, quod assumatur à Persona diuina, respectu mundi habet rationem capitis; ergo vna tantum natura intellectualis debet assumi. Rursus est magis conforme naturæ creatæ, ut terminetur vna tantum personalitate, quam pluribus; ergo conuenientius fuit ad perfectionem vniuersi, ut natura humana assumeretur ab vna tantum Persona, quam à pluribus, præsertim cum natura assumpta ab vna tantum Persona per circuminfectionem habeat in se perfectionem omnium personalitatum, ut dicitur inferius in tractatu septimo de Trinitate. In tractatu etiam de Incarnatione ex communi doctrina Theologorum, & Patrum dicitur ad perfectionem vniuersi fuisse conuenientius, ut assumeretur natura humana, quam Angelica, quia cum natura humana consistat ex natura intellectuali, & corporea, assumpta quodammodo fuit vtraque natura, ac proinde Deus extensiuè se magis communicauit. Dicitur etiam fuisse specialiter conueniens, ut natura humana assumeretur à Filio, quam à Patre, vel Spiritu Sancto; ut Incarnatio fieret in medio temporis, quam in principio, vel fine mundi. Ex his verò confirmatur nostra sententia. Cum enim Patres adeo solliciti fuerint in explicando, quo pacto fuerit melius, & conuenientius, ut Incarnatio fieret eo pacto, quo facta est, supposuerunt Deum semper facere id, quod est melius, & conuenientius ad perfectionem vniuersi.

23. Ad 5. & 6. Quia solutio argumenti pendet à solutione quæstionis, in qua quæritur, utrum vniuersum esset perfectius, vel imperfectius, si Deus nulla, vel pauciora, & minora peccata permisisset, & si omnes Angelos, & homines prædestinasset, vel saltem plures prædestinasset, quam reprobasset, quæ quæstio est grauissima, & difficillima, libet illam ex professo examinare quæstione sequenti.

QVÆSTIO LII.

Utrum Mundus esset formaliter perfectior, vel imperfectior, si Deus nulla, vel pauciora peccata permisisset, & si omnes Angelos & homines prædestinasset, vel saltem plures prædestinasset, quam reprobasset?

1. **V**idetur, quod mundus esset perfectior, si nemo damnaretur, nemo peccaret,

primo quia ex Aristotele 3. Top. cap. 4. *Albū est, quod est nigro impermixtius; ergo melius est quod est malo impermixtius; ergo si Deus fecisset mundum, in quo nulla fierent peccata, talis mundus fuisset melior hoc mundo, ac proinde hic mundus non est formaliter optimus.*

2. Secundò homo innocens, cæteris paribus, est melior poenitente, & magis à Deo diligitur; ergo mundus innocens, cæteris paribus, est melior poenitente; sed si nulla essent peccata, mundus esset innocens; ergo &c.

3. Tertiò ex dicendis in Tractatu de Incarnatione, peccatum mortale in genere mali est maius, quam in genere boni sit bonus quilibet actus honestus puræ creaturæ; ergo malum peccati non potest adequatè compensari vilo actu honesto elicitò à pura creatura; sed si malum peccati non potest compensari vilo actu honesto elicitò à pura creatura, perfectior est mundus sine vllis peccatis, quam cum peccatis; ergo.

4. Quartò si dicatur, quod bonum Incarnationis, & actuum honestorum Christi est maius malo peccati, quod bonum non extitisset, nisi fuissent peccata: contra est, quia saltem si nulla fuissent peccata, & nihilominus fuisset Incarnatio, mundus fuisset perfectior, quam sit de facto; ergo.

5. Quintò perfectio mundi, quam Deus primo, & per se, & voluntate antecedenti intendit, est maior perfectione, quam intendit solum secundario, & ex suppositione, quod à creatura peccante impediatur illa alia perfectio: sed Deus primo, & per se, ac voluntate antecedenti vult mundo perfectionem innocentiam, & salutis: nam vult neminem peccare, & damnari, & ut dicitur 1. ad Timoth. 2. *Vult omnes homines saluos fieri*, alia verò bona, compensatiua peccatorum vult mundo solum secundario, & ex suppositione, quod homines liberè peccando impediant bonum innocentiam; ergo &c.

6. Sextò Hierotheus, & ex eo Dionysius cap. 6. de diuinis nominibus infert tanquam inconueniens, quod erit malum ad omne, hoc est ad perfectionem vniuersi conferens: sed si mundus esset minus perfectus, si non darentur peccata, malum peccati conferret ad perfectionem vniuersi; ergo.

7. Septimò S. Thomas 1. sentent. dist. 46. art. 1. ad 3. dicit: *Quædam mala sunt, quæ si non essent, vniuersum perfectius esset, illa scilicet, quibus maiores perfectiones priuantur, quam in alio acquirantur, sicut præcipue est in malis culpe, & concludit; unde si nullus homo peccasset, vniuersum genus humanum melius foret; ergo S. Thomas existimat vniuersum futurum perfectius, si Deus non permisisset vllum peccatum.*

8. Octauò demum viderur, quod mundus fuisset perfectior, si Deus pauciora peccata permisisset, & plures prædestinasset, quam reprobasset; ergo Deus permittendo tot peccata, & reprobandos plures homines, quam prædestinet,

Y

facit

facit id, quod est minus bonum, & minus confert ad perfectionem vniuersi.

9. Respondeo duas esse opiniones. Prima Durandi in 1. dist. 46. quæst. 2. Vasquez 1. parte quæst. 22. artic. 2. & disput. 107. cap. 3. quam sequuntur plures recentiores, docet mundum futurum perfectiorem, si Deus nullum permisisset peccatum.

10. Secunda communis Scholasticorum, nimirum S. Thomæ 1. parte, quæst. 22. art. 2. & quæst. 43. art. 2. ad 3. & quæst. 49. art. 2. in corpore, & 3. contra gentes, cap. 71. præsertim num. 5. & de Potentia quæst. 3. art. 6. ad 4. & alijs locis; Alexandri 1. parte, quæstione 38. memb. 4. & quæstione 40. memb. 3. Alberti 1. parte, quæst. 27. de malo, memb. 5. ad 1. & aliorum, quos refert, & sequitur Ruiz tomo de Providentia, disput. 2. sect. 4. docet mundum futurum minus perfectum, si Deus nulla peccata permisisset. Ferrariensis tamen 3. contra gentes conclusionem limitat, ac docet mundum de facto esse perfectiorem solum extensiuè, non autem intensiuè, quam si Deus nulla peccata permisisset.

11. Dicendum cum secunda sententia: mundus de facto est formaliter perfectior, quam si Deus nulla peccata permisisset.

12. Probatur primò conclusio ex Scriptura. Ecclesiast. 3. dicitur: *Non possumus eis quidquam addere, vel auferre, quæ fecit Deus, ut timeatur.* Sensus autem est, quod mundus sit ita perfectus, ut neque additione, neque diminutione possit fieri perfectior; sed si ablatis peccatis, mundus esset perfectior, posset fieri perfectior ablatione peccatorum; ergo ablatis peccatis, mundus non fieret perfectior.

13. Probatur secundò conclusio ex Patribus. Primò enim Patres citati quæst. 57. nu. 16. dicunt Deum semper facere id, quod est melius, & conuenientius ad perfectionem mundi; sed Deus de facto permittit peccata; ergo existimant melius, & conuenientius esse ad perfectionem Mundi, ut Deus permittat peccata. Secundò plures Patres dum opponitur, quod melius fuisset, ut Deus peccata non permitteret, negant hoc cum quadam detestatione, & expressè docent melius fuisse, ut Deus peccata permitteret; ergo. Probatur antecedens, afferendo testimonia Patrum. Augustinus lib. 11. contra aduersarium legis, & Prophetarum, cap. 14. dicit: *Quibus autem videtur, sic hominem fieri debuisse, ut peccare nollet, non eis displiceat sic factum esse, ut non posset peccare, si nollet: & paulò post: Aut verò usque adeo desipiendum est, ut homo videat melius aliquid fieri debuisse, & hoc Deum vidisse non putet, aut putet vidisse, & credat facere noluisse, aut voluisse quidem, sed minimè potuisse. Auertat hoc Deus à cordibus nostris; ergo Augustinus expressè negat hominem sic fieri debuisse, ut peccare nollet, & tanquam insipientes reprehendit eos, qui asserunt melius fuisse, ut sic fieret. Idem Augustinus lib. de quantitate animæ dicit: *Dei iustitia factum est, ut non modo sint omnia, sed omnino sic sint, ut melius esse non**

possint; sed vniuersum potuisset esse sine peccatis; ergo existimat, quod sine peccatis non fuisset melius, atque perfectius. In Enchirid. cap. 27. dicit: Melius enim iudicauit de malis benefacere, quam mala nulla esse permittere; ergo si Deus iudicauit hoc melius, verè fuit melius, ut permitterentur peccata, ex quorum permissione Deus faceret multa bona, quam ut non permitterentur. Idem docet alijs locis, quæ videri possunt apud Ruiz de Providentia disput. 2. sect. 4.

14. Augustinum secuti sunt quidam alij Patres, & præsertim Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis parte 4. cap. 3. dicens: *Diximus, quod maius est esse bonum ex malo, quam ex solo bono. Permitti itaque mala debuerunt ut essent, quoniam ut essent id bonum erat, ex quibus bonum futurum erat. Petrus Chrysologus Serm. 97. de Parabola Zizaniorum post medium dicit: Maius est reparare perditam, quam illa illæsa reseruare.*

15. Probatur tertio conclusio rationibus desumptis ex ipsidem Patribus. Prima ratio desumpta ex parte ipsius Dei est. Deus cum sit omnipotens, & summè bonus, in opere suo non debuit permittere mala, nisi vellet ea adæquatè compensare alijs bonis; sed si vniuersum fuisset melius, si Deus non permisisset peccata, malum peccati non compensaretur adæquatè, sed solum inadæquatè alijs bonis; ergo. Hæc ratio desumpta est ex Augustino in Enchirid. cap. 10. & 11. ubi dicit: *Nec enim Deus omnipotens (quod etiam infideles fatentur, verum cui summa potestas,) cum summè bonus sit, villo modo sineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens, & bonus, ut beneficeret etiam de malo. Et cap. 96. dicit: Quamuis enim ea, quæ mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona, tamen ut non solum bona, sed etiam sint & mala, bonum est. Nam nisi hoc bonum ut essent & mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotenti bono.*

16. Secunda ratio desumpta ex parte ipsius mundi est. Quandoquidem mundus est vniuersitas rerum, & bonorum, debet esse perfectus in ratione vniuersitatis, ac proinde ad perfectionem formalem mundi spectat, ut in eo sint omnes ordines, omnia genera, & omnes species rerum, & bonorum cum suis proprietatibus, & accidentibus, donec perueniatur ad ea, in quibus proceditur infinitum, absque exigentia sistendi in hoc potius, quam in illo, ut dictum est quæst. 51. num. 10. & 11; sed multa sunt bona, quæ non possunt dari in vniuerso, nisi permittantur peccata; e. g. patientia Martyrum non potest dari sine crudelitate Tyrannorum; bonum poenitentiae non potest dari, nisi præcesserit culpa; bonum iustitiæ vindictiue non potest dari, nisi præcesserint delicta; actus ille eximie charitatis Christi, quo voluit mori, & se offerre hostiam Dei pro peccatis nostris, & totius mundi, non potuit dari, nisi Deus permisisset peccata nostra, & totius mundi; ergo.

17. Confirmatur: nam ex dictis eadem, quæst. 51. num. 11. ad perfectionem mundi spectat

spectat etiam, vt entia, & bona ordinentur, ac disponantur optimè, & pulcherrimè: sed ad optimam, & pulcherrimam dispositionem spectat, vt contraria disponantur iuxta sua contraria: opposita enim iuxta se posita magis clucescunt; ergo.

18. Hæc ratio desumpta est ex Scriptura, & Patribus, & præsertim ex Augustino. Ecclesiast. 33. dicitur: *Contra malum bonum est, & contra mortem vita; sic & contra virum insum peccator: & si intueri in omnia opera altissimi: duo, & duo, & unum contra unum; ergo Scriptura docet Deum sicut disposuit alia contraria iuxta sua contraria, sic disposuisse iustos iuxta peccatores, vt sic omnia optimè, & pulcherrimè ordinarentur, ac disponerentur.* Sic intelligit hunc locum Augustinus lib. 11. de Ciuit. cap. 18. dicens: *Nec enim Deus vllum non dico Angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum esse præcisset, nisi pariter nosset, quibus eos honorum & sibus commo- daret, atque ita ordinem sæculorum tanquam pulcherrimum carmen, quasi quibusdam antithetis honestaret: & allatis exemplis aliorum oppositorum subdit. Sicut ergo ista contraria contrariis opposita sermonis pulchritudinem reddunt, ita quadam non verborum, sed rerum eloquentia contrariorum oppositione sæculi pulchritudo componitur.* Aperiissimè hoc possumus esse in libro Ecclesiastico hoc modo: *Contra malum bonum est &c. & in Enchiridio cap. 10. & 11. dicit: Ex omnibus consistit vniuersitatis admirabilis pulchritudo. In quo etiam illud, quod malum dicitur, bene ordinatur, & suo loco positum eminentius commendat bona, vt magis placeant, & laudabiliora sint, dum comparantur malis.* Consonat Augustino Anselmus in Elucidario, vbi loquens de malis Angelis dicit. *Cum Deus præficeret eos tales futuros, quare creauerit eos? Propter ornatum sui operis. Vt enim Pictor nigrum colorem subternit, vt albus, vel ruber pretiosior sit, sic collatione malorum iusti clariores sunt.* Hugo etiam Victorinus lib. 1. de Sacramentis par. 4. cap. 23. dicit: *Non debet in compensatione minoris boni impediri, quod maius est bonum ab illo, qui optimus est. Et diximus, quod maius bonum est esse bonum ex malo, & bono, quam ex solo bono. Permitti igitur mala debuerunt, vt essent, quoniam vt essent id bonum erat, ex quibus bonum futurum erat: & in summa sententiarum, tract. 1. cap. 13. agens de peccatis dicit. Licet bonum sit isti, quod præcipitur ei, non tamen bonum est vniuersitati: & quod prohibetur, licet illi malum sit, bonum est vniuersitati. Et quia maius bonum est, quod totius, quam quod partis, & minus malum, quod vnius partis, & maius quod totius, ideo quod bonum est vni, & non vniuersitati, non vult esse, & quod malum est vni, bonum vniuersitati, vult (voluntate nimirum permissiua) ne bonum vniuersitatis impediatur. Nihil enim fit, quod vniuersitati bonum non sit, quamuis iudicia Dei nobis occulta sint.*

19. Tertia ratio desumpta ex fine Mundi est. Finis Mundi est, vt in eo manifestentur diuina attributa, & diuinæ perfectiones; ergo perfectior est Mundus, qui est aptior ad manifestanda diuina attributa, & diuinas perfectio-

nes; sed aptior ad manifestanda diuina attributa, & perfectiones est Mundus, in quo sint peccata; ergo perfectior est Mundus, in quo sint peccata. Probatur antecedens assumptum; nam iustitia Dei maximè manifestatur, puniendo peccata, & peccatores poenis æternis: misericordia Dei maximè manifestatur, parcendo peccatoribus. Rursus summa Dei iustitia, & misericordia maximè apparet in eo, quod voluerit Christum mori pro peccatis nostris: in hoc etiam apparet summa Dei potentia, & sapientia, ideoque canit Ecclesia: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & misereendo manifestas.* Infinita patientia, & longanimitas Dei apparet in eo, quod toleret peccatores ad- dentes peccata peccatis iuxta illud ad Rom. 2. *An diuitias patientia, eius, & longanimitatis contemnis? &c.* Debet autem aduerti, quod ad perfectionem Mundi non sufficit, vt beati videntes Deum, videant illum esse infinitè sapientem, infinitè iustum &c. sed requiritur vt infinita sapientia, infinita potentia, infinita iustitia, misericordia, & cetera diuina attributa manifestentur per ipsum Mundum, & per ipsa opera diuina, ita vt Deus creando, & gubernando Mundum, exerceat opera maximæ sapientiæ, iustitiæ, misericordiæ &c. talia autem opera non posset exercere, nisi permitteret innumera peccata, vt magis etiam explicabitur in solutione obiectionum.

20. Ad 1. concedo antecedens, & nego consequentiam, loquendo de bonis creatis. Disparitas est, quia quilibet gradus albedinis potest dari sine nigredine; ergo nigredo non est necessaria ad hoc, vt obiectum sit album in quolibet gradu. E conuerso multa bona, & plures gradus bonorum non possunt dari sine aliquibus malis; ergo quædam mala sunt necessaria ad hoc, vt dentur quædam bona, ac quidam gradus bonorum; sed est perfectior formaliter Mundus, in quo dentur omnes gradus bonorum, quam in quo non dentur omnes gradus bonorum; ergo perfectior est Mundus, in quo dentur aliqua mala, & peccata, quam in quo nullum fuisset peccatum. Audiatur S. Thomas 1. parte, quæst. 48. art. 3. ad 3. dicens. *Vt dicit Augustinus in Enchiridio cap. 11. Deus est adeo potens, quod etiam bene potest facere de malis; unde multa bona tollerentur, si Deus nullum malum permitteret esse. Non enim generaretur ignis, nisi corrumpeteretur aer, neque conseruaretur vita leonis, nisi occideretur asinus; neque etiam laudaretur iustitia vindicans, & patientia sufferens, si non esset iniquitas.* Possumus addere ex Cardinali de Lugo disp. 2. de Incarnatione sect. 2. num. 34. quod pulchrior est consideratio Prædestinatorum, ac reproborum, in quibus quasi in luce, & tenebris eximè splendet misericordia, & iustitia Dei, quam vnica misericordiæ vniuersalis series, quæ omnes saluaret.

21. Ad 2. concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est, quia cum totum debet constare ex partibus habentibus perturbationes inæquales, & impossibiles, illa pars

est perfectior, quæ habet maiorem perfectionem, illa est imperfectior, quæ habet minorem perfectionem: e.g. quia animal debet constare ex membris inæqualibus, puta ex oculo, aure, pedibus, manibus, illa pars, quæ habet perfectionem maiorem oculi, est perfectior parte habente minorem perfectionem auris, & pedis. At totum est perfectius, si in diuersis suis partibus habeat perfectiones inæquales, quam si in omnibus haberet perfectionem eandem, & summam: e.g. animal est perfectius, si in vna sui parte habeat perfectionem oculi, in alia perfectionem auris, in alia perfectionem pedis &c. quam si in omnibus suis partibus haberet perfectionem oculi. Si enim totum corpus oculus, vbi auris &c. vt dicit Apostolus 1. ad Corint. 12; sed quilibet homo respectu Mundi habet rationem partis, Mundus habet rationem totius constantis ex partibus habentibus perfectiones inæquales; ergo ex hominibus, cæteris paribus, sunt perfectiores illi, qui habent perfectionem maiorem innocentie, quam qui habent perfectionem minorem poenitentiae: at Mundus ipse est perfectior, si in aliquibus suis partibus, puta in Christo, Beata Virgine, Angelis bonis, habeat perfectionem maiorem innocentie, in alijs partibus habeat perfectionem minorem poenitentiae &c. Si enim omnes innocentes, vbi essent poenitentes? si omnes prædestinati, in quos nam exerceretur iustitia vindictiua? Confirmatur: nam in exercitu equites sunt nobiliores peditibus, si tamen totus exercitus constaret ex solis equitibus, esset imperfectior, quam si constaret ex equitibus, & peditibus; idemque dic in pluribus alijs; ergo in collectione omnium hominum innocentes sunt perfectiores poenitentibus: collectio tamen hominum est perfectior, si constet ex innocentibus, & poenitentibus, quam si constet ex solis innocentibus. Hec solutio, & doctrina desumpta est ex Augustino pluribus in locis. Lib. 3. de lib. arbitrio cap. 5. dicit. *Non est autem vera ratio, sed inuidia infirmitas, cum aliquid melius faciendum esse cogitaueris, iam nihil aliud inferius velle fieri, tanquam si perspecto Cælo, nolles terram factam esse unquam omnino. Et inferius. In eo plerique homines errant, quia meliora cum mente conspexerint, non in sedibus congruis ea oculis querant: velut si quisquam perfectam rotunditatem ratione comprehendens, stomachetur, quod talem in nuce non inuenit. Possumus etiam hic applicare discursum Apostoli. Si quia figura rotunda est omnium perfectissima, omnia corpora essent rotunda, vbi figura ovalis, figura quadrata, figura nucis, & aliæ figuræ? Idem. Augustinus lib. 11. de Gen. ad literam, cap. 7. postquam concessit meliorem esse naturam, quæ omnino peccare nolit, quam quæ peccare velit, redarguit eos, qui ex hoc inferebant Deum debuisse facere talem hominem, vt nunquam peccaret, dicens. Cum æquare volum genera bonorum, numerum minuant, & immoderate augendo vnum genus, alterum tollunt. Quis autem hos audiret, si dicerent, quoniam excellentior sensus est*

videndi, quam audiendi, quatuor oculi essent, & aures non essent? ita si excellentior est natura rationalis, quæ Deo subditur &c. quis recte intelligens dicat, talis esset ista, qualis illa, nec videat se nihil aliud dicere, quam non esset ista, sed sola esset illa? Videri etiam potest cap. 10. eiusdem libri, & lib. 1. contra aduersarium legis, & Prophetarum, cap. 14. & lib. de natura boni cap. 32. 33. & 37.

22. Dices: si eidem addatur aliquid melius, totum, quod resultat, est melius, quam si addatur aliquid minus bonum; sed si hominibus innocentibus additi fuissent alij innocentes, fuisset additum aliquid melius, quam si additi fuissent poenitentes; ergo.

23. Respondeo, distinguo maiorem: si eidem addatur aliquid melius, totum, quod resultat, est melius, si retineat eandem varietatem, integritatem, & proportionem partium, concedo: si non retineat, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. In corpore humano, si loco pedis addatur aliud caput, eidem additur aliquid melius, quam si addatur pes, & tamen corpus illud euaderet deterius, mutilum, & monstruosum, idemque explicari potest innumeris alijs exemplis; ergo si hominibus innocentibus additi fuissent alij innocentes, multitudo resultans esset minus perfecta. Huc spectat doctrina, quam q. 54. Logica tradidi, quod nimirum præcipua perfectio in rebus est perfectio relatiua ordinis, & proportionis, quæ sæpè amittitur, addita magna perfectione absoluta, & valde augetur, addita parua perfectione absoluta, eaque subtrahita, valde minuitur. Notauit hoc Augustinus lib. 11. de Ciuit. Dei, & explicauit exemplo supercilij: quod si radatur, quam propemodum nihil corpori, & quam multum detrabitur pulchritudini?

24. Ad 3. distinguo antecedens: peccatum mortale in genere mali est maius malum respectu peccantis, quam quilibet actus honestus puræ creaturæ sit bonus respectu honestè agentis, concedo: respectu vniuersi, nego: & nego consequentiam. Peccatum mortale respectu peccantis est maximum malum, & maius, quam sit bonus quilibet actus honestus puræ creaturæ respectu honestè agentis, vt dicitur in Tractatu de Incarnatione: at respectu vniuersi peccatum mortale non est maius malum, quam sint multa bona, quæ Deus trahit ex peccato; ergo non sequitur, quod peccatum mortale respectu vniuersi nõ possit adæquatè compensari bono iustitiæ vindictiue, bono patientiæ, bono misericordiæ, quam Deus exercet, dum peccatoribus parcit, & pluribus alijs bonis. Confirmatur responsio: nam damnatio, & poena æterna, quæ est maximum malum respectu damnatorum, non solum non est maximum malum respectu vniuersi, sed est maximum bonum; spectat enim ad bonum, & pulchritudinem vniuersi, vt qui finaliter peccarunt, sint in æternum miseri; ergo non est mirum, quod peccatum mortale, quod est maximum malum respectu peccantium, & in genere

nere mali maius bono cuiuslibet actus honesti puræ creaturæ, respectu vniuersi non sit maximum malum, neque sit in genere mali maius bono iustitiæ vindictiue, & alijs bonis, quæ Deus elicit ex peccatis, ac proinde malum peccati mortalis in ordine ad vniuersum adæquatè compensetur bonis, quæ Deus elicit ex peccatis. Consonat huic doctrinæ Hugo Victorinus verbis supra citatis num. 18.

25. Ad 4. nego antecedens, & dico, quod si nullum fuisset peccatum, & fuisset Incarnatio, Mundus fuisset minus perfectus, quam fuerit de facto, siquidem illi defuissent maxima bona, quæ non possunt dari, nisi ex suppositione peccatorum, & diuina attributa præsertim misericordiæ, & iustitiæ non explicarentur in diuinis operibus ita perfectè, sicut explicantur de facto, vt dictum est num. 19.

26. Ad 5. distinguo maiorem; perfectio Mundi, quam Deus primo, & per se intendit voluntate inefficaci, est maior perfectio, quam intendit secundo voluntate efficaci, vt compensatiua illius alterius perfectionis, nego; voluntate efficaci, transeat: distinguo eodem modo minorem; & nego consequentiam. Deus solum inefficaciter vult neminem peccare, & omnes saluari, efficaciter autem vult bona compensatiua peccatorum, & ipsa peccata permittit, vt habeat bona ipsorum compensatiua; sed cum sit optimus, non permitteret peccata, vt haberet bona compensatiua, nisi bona illa respectu vniuersi adæquatè compenarent malum peccati; ergo. Confirmatur: nam Deus primo, & per se vult neminem peccare; bonum autem redemptionis per Christum vult ex suppositione peccati; ergo argumento allato probaretur bonum redemptionis esse minus bono innocentie à peccatis, quod ab aduersarijs non admittitur, adeoque etiam ipsi debent soluere argumentum allatum.

27. Ad 6. Hierotheus, & ex eo Dionysius negant peccatum ex se conferre ad bonum, vniuersi, quod etiam nos negamus; at non negant Deum esse ita bonum, vt malum peccati compenset adæquatè bonis, quibus vniuersum reddatur perfectius, quam si peccatum non fuisset commissum, quod solum nos asserimus.

28. Ad 7. Respondeo, quod S. Thomas licet iunior in sententiarum docuerit Mundum fore perfectiorem, si nulla darentur peccata, tamen senior, & doctior in summa Theologica, & in summa contra Gentes sententiam mutauit, ac docuit oppositum.

29. Ad 8. nego antecedens. Fuit conuenientius, & melius, vt Deus permitteret innumera peccata, vt sic magis appareret diuina patientia, & longanimitas; fuit melius, vt ex hominibus plures damnarentur, quam saluarentur, vt sic melius appareret, quanta sit diuina misericordia in prædestinatos, quos eligit, pluribus alijs reiectis, & vt ipsa reiectorum multitudinem ostenderetur, quod nullius momenti sit apud Deum iustum quantalibet multitudo iu-

stissimè damnatorum, vt loquitur Augustinus lib. 21. de ciuit. cap. 12. & epist. 157. ad Optatum. Sed maior numerus reproborum, quam prædestinatorum spectat ad occulta iudicia Dei.

QVÆSTIO LIII.

Virum Deus aliqua necessitate morali necessitetur ad faciendum optimum, & magis conueniens?

1. **V**idetur necessitari, primo quia tunc liberum arbitrium necessitatur moraliter ad aliquid, cum ita ad illud faciendum inclinatur, vt ex tali inclinatione possit cum euidencia morali inferri, quod illud faciet, licet absolute posset non facere: e. g. quia liberum arbitrium humanum non præuentum specialibus auxilijs gratiæ ita inclinatur ad peccandum, venialiter, vt ex hac inclinatione possimus inferre cum euidencia morali, quod quilibet homo non præuentus specialissimis auxilijs gratiæ aliquando moraliter peccat, dicimus liberum arbitrium humanum non præuentum specialissimis auxilijs gratiæ necessitari moraliter ad peccandum venialiter; sed Deus ita inclinatur ad faciendum id, quod est melius, vt ex hac inclinatione possit inferri cum euidencia morali Deum semper facere id, quod est melius; ergo &c.

2. Secundo Patres sæpè ex eo, quod quædam sint meliora, & magis conuenientia, inferunt necesse esse, vt à Deo fiant; ergo cognoscunt in Deo necessitatem ad illa faciendam; non aliam quam moralem; ergo &c. Probatur antecedens: nam Augustinus in psal. 76. explicans illum versiculum, *numquid in æternum projiciet Deus, aut non apponet, vt complacitor sit adhuc?* dicit: *Necesse est, vt reuocet ad se seruos suos; necesse est, vt recipiat fugitiuos redeuntes ad dominum; necesse est, vt exaudiat voces compeditorum;* & serm. 7. de Natali Domini, qui est 11. de Tempore, dicit: *Sicut non poterat caro nisi de carne nasci, ita non poterat Dei caro de femineo utero nisi sine generante prodire;* ergo &c.

3. Respondeo, ac dico primo, quod si propriè loquamur, Deus nulla necessitate morali antecedenti suam liberam electionem necessitatur ad faciendum optimum formaliter.

4. Probatur primo, nam vt docet Augustinus lib. 13. de Trinitate cap. 10. *Diuina potestati omnia æqualiter subiacent;* sed si Deus aliqua moraliter non posset facere, illa non æqualiter subiacerent diuinæ potestati, ac ea, quæ Deus potest moraliter facere; ergo &c. Idem Augustinus lib. 83. quæst. 22. & lib. 1. contra aduersarium legis, & Prophetarum cap. 7. dicit: *vbi nulla indigentia, nulla necessitas: vbi nullus defectus, nulla indigentia; nullus autem defectus in Deo: nulla ergo necessitas;* ergo negat dari in Deo vllam necessitatem propriè dictam in ordine ad operandum ad extra.

5. Pro-